



Band II



L 5 459.8

Archiv 104

No 545-704.

APPLAUSUS VOTIVUS,

Quem, cum

RECTORE MAGNIFICO

Viro Præ-Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo

DOMINO

D. AUGUSTO QVIRINO RIVINO,

Patholog. Prof. Publ. & Facult. Medic. Seniore, Maj. Colleg. Collegiato
& Academia Decemviro,

PRO-CANCELLARIO

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ GRAVISSIMO

Viro Præ-Nobilissimo, Amplissimo atque Consultissimo

DN. D. JO. BURCHARDO MENCKENIO,

Reg. Maj. Pol. Consiliario & Historiographo, Societatis Reg. Britann. Socio
& Histor. Prof. Publ.

DECANO MAXIME SPECTABILI

Viro Maxime Reverendo & Excellentissimo,

DN. L. CHRISTIANO LUDOVICI,

Log. Aristotel. Prof. Publ. Hebraicæ Linguæ & Talmud. Extraord. & Collegii
Mariani Collegiato,

Juvenis Præstantissimus ac Doctissimus

DOMINUS

FRIDERICUS SCHÖNIUS,

Philosophiæ & SS. Theologiæ Studiosus,

IN ALMA PHILTREA

die 6. Decembr. An. 1709.

Ipsis JUBILÆI ACADEMICI Solennibus

Laurea Magisteriali

solenni ritu, condecoraretur,

IPSIS

Nepotibus

quippe sui ex Sorore Filii amantissimi honoribus

velificaturus

EX SINCERO AFFECTU

edidit

JOHANNES FRIDERICUS SCHOENIUS,

CONSUL GORLICH.

LIPSIÆ,

LITERIS GOEZIANIS.

1709.



Rospera lux oritur, Parcarum condita
fausto
Vellere, & ambrosii perfusa liquamine
succis:
Qua post assiduos indefessosque labores,
Mi SCHOENI, tandem cœlesti adjutus ab aura,
Atque Patrum auspiciis, qui ut maxima Lumina Pindi
Lipsiaci fulgent, zona ut præcinctus Orion
Inter stellantis radiantia sidera Cœli,
Cinguntur Tibimet Daphneide tempora Lauru,
Quaque capis viridi radiantes crine corollas.
Hæc sunt, queis decorat *Mater dulcissima* natos,
Præmia Virtutum, Clariique brabea laboris,
LIPSIA, Cecropiis quæ nil concedit Athenis,
LIPSIA, Delicium Charitum, Nutricula Clius
Caltæ, quæ dociles dextro sub pollice Ephebos,
Ut ceram, fingit, totumque Heliconâ recludit:
Illis dum variæ doctrinæ semina spargit,
Omnigenumque Sophos facundo differit ore.
Ille ego, quem quondam hæc *indulgentissima Mater*
Nutrivit solidæ doctrinæ altrice Mamilla,
Gratus adhuc, quanquam dudum mihi pallida vultum
Contraxit macies, rugaeque in fronte seniles,
Gratus adhuc E jus benefacta recordor alumnus,
Ac *Matri* gratæ contestor mentis honorem.
Saepe meam subeunt Academica tempora mentem,
Dilectæ veluti præsens LIPSIAE imago:
Cum licuit doctis operari rite Camenis,
Integrosque dies studiis impendere honestis,

Felicique opera sinuosa Volumina Juris
 Versare, & Legumlatricis clara Themistos
 Sidera, & Eunomiæ Patres; queis pandere publi
 Jus per utrumque viam curæ, audivisse docentes.
 Tantum tunc alios superabant nomine, quantum
 Hesperus æthereos præit pulcherrimus ignes;
 FRANKENSTEINI ADES spatiosa per æquora Circi
 Historici assidue cui me duxisse voluptas,
 Hyblææ instar apis cupidum per prata volandi;
 THOMASIVS, qui flexanimæ Lux clara Suadæ,
 Ingenio pollens, facundæ flumine linguæ
 Eloquii fundebat opes, ac melle fluentis
 Torrentis gazas. ALBERTI Panfophus Hæmi
 Lipsiaci, ostendit qua rite atque ordine cuncta
 Perspicue & possem ratione addiscere; quanta
 Convincendi animos sit vis, magmenta Bonique
 Et Veri, & penitus exquirere Principis artes
 Imperiique statum dextra ratione docebat.
 At quid SCHERZERUS, Sophies Sol? Tradidit omne,
 Quod vel Anagnostes subtilis acumine sensus
 Signat Aristoteles, vel quod Sophia ipsa, labantem
 Seu mentem solidet, seu curvum hoc Velle figurat.
 Jura docebatis Vos, sanctæ Fulcra Themistos,
 Et Legum Atlantes ECKOLTE, & Juris & Æqui
 Aureæ Fons, nil Ausonio cessisse Quirino
 Quem constat, magne & SCHWENDENDOERFFE-
 RE, sacra
 Juris & æquarum Interpres sanctissime Legum;
 Et Tu, cui Juris, ROMANE, recluserat omne
 Arcanum Virgo, cujus stat foedere Mundus.
 O sancti Manes, cœlesti sede recepti,
 Devotos, quæso Vobis agnoscite cultus,
 Et capite immensis meritis a pectore grates
 Sincero, & quantas potis est mea lingua referre
 Pro tantis meritis: Vosmet, dum candida mundum
 Grata colet Pietas, laus intemerata manebit,
 Famaque perpetuas Laurus amplisque triumphis

Æmula gestarum decrevit præmia rerum.
Namque immortales operas, tantosque labores
In terris etiam decet immortale brabeum,
Definet atque prius fragili mihi gutture lingua
Atque prius fragiles hos deferet halitus artus,
Quam iubeant animo meritorum oblivia nostro.
Vestra mihi semper, mihi semper inhæret imago
(Credite, si manes unquam mortalia tangunt,
Non abitura mea, dum vivam, mente, Beati,
Splendida fiderei quos aula recepit Olympi:
Quam petimus votis, & quam nos quærimus omnes.
Sed quo dilabor? Quis aperto currere coelo
Non cernit solem? Cui non auditus Apollo est?
Cui non dictus Hylas? Quin cesso ac desino laudes
Deterere Ingenio sanctosque laceffere Manes;
Quamvis sincere mentis seductus ab Oestro?
Ad TE, Musa redit mea, dilectissime SCHOENI,
Juncte mihi, atque Meis propiori sanguine juncte.
Dulcia namque meam pertentant gaudia mentem:
Dum Sophies fulges redimitus tempora lauro:
LIPSIA qua celebrans Academica Jubila luce
Certatim festo ingeminat pia gaudia plausu.
Mollia non fluxere Tibi, non marcida luxu
Otia, non lentos protraxit inertia soles,
Improba nec Circe, nec sane foeda Calypso
Possedit teneros vitiiis juvenilibus annos;
Enthea sed Virtus Tibimet fuit, ardor Honesti
Atque fuere Tibi Phœbi Sacrarum curæ.
Hinc cape nunc felix mercedem, anabathra capeffe,
Quæque Magistripetæ posita est Orchestra catervæ.
Macte animi, atque Patrem, qui despicit æthere sanctus
Astrimico, (si Coelitibus terrestria curæ,
Ingenio ac studiis imitari porro memento.
Sic magis atque magis Tibi Laurea parta virefcet:
Sic tandem merces veniet magis ampla labori;
Nec TE in Palladiis caltris certasse pigebit.

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1